

vitrum porrigunt, mundum ut dent, satagunt; qui fercula apponunt, ut eas immundis manibus non contaminent, nec digitos immergunt. Ita Levit. XV. præcepit Deus vas fictile, quod immundus attigerit, confringi. Non decet Deo, fonti omnis puritatis, ex impuro vase aliquid offerre: quare nec jejunium peccatis contaminandum est. *Sanctificate jejunium*, sicut jubet Deus sanctificari sibi diem sabbati, hoc est, in sanctis et piis operibus transigi. Quemadmodum ergo profanatur sabbatum servilibus operibus, ita et jejunium, si peccatis interim serviatur. Sabbatum per se quies dumtaxat est ab operibus servilibus, necdum sanctum est, nisi quies illa impendatur piis operibus: sic res habet cum jejunio.

Sanctificate jejunium, h. e. condite illud virtutibus, sicut escæ, ut sapide fiant condiuntur aromatibus et sale. Cibus sale non aspersus desipit; multi etiam delicati cibum nisi aromatibus et bellariis bene præparatum nauseant. Quid mirum, si et Deus jejunium, quod animæ cibus est, sapidum requirat?

Quare custodiat unusquisque quam potest solertissime atrium et domum suam, ne dæmon aditum ad eam inveniat. Studeamus, nos jejunio ita vallare, ut hostis ille quærens requiem et non inveniens, cogatur plorare. Qui sane ploratus risum et gaudium creabit ss. angelis, nobis vero coronam.

CONCIO IV.

LOCA INAQUOSA, QUÆ PERAMBULAT DÆMON.

I. Sunt incipientes et tenellæ plantæ. — II. Sunt perfecti et sancti. — III. Adolescentes. — IV. Virgines. — V. Iracundi. — VI. Otiosi et ignavi, timidi et melancholici. — VII. Moribundi.

THEMA.

Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem. Luc. XI.

Quid est, auditores, quod per quadragesimam toties audimus mentionem fieri cacodæmonis in sacro evangelio? In prima ejus dominica, velut tentator Christum aggressus est: in hodierna seu tertia possidet mutum et expellitur: in quinta accusatur a Judæis Christus tamquam habens dæmonium: feria quinta in cæna Domini adducitur velut inspirator Judæ: vix per totum annum toties prodit diabolus, quoties in quadragesima. Quæ hujus rei causa? Mihi hæc occurrit, quia tempore quadragesimæ plus hominibus insidiatur, quam aliis temporibus, quod testantur sancti patres, uti Sanctus Leo, serm.

II. de quadr. *Modo tibi major cautio, inquit, et sollicitior adsumenda prudentia est, quando idem hostis tuus acriori sævit invidia.* Idem testatur S. Bernardus, sermone III. de jejunio quadragesimæ maxime impugnari, ad transmigrandum de suis sedibus acrius perurgeri, non secus ac Hebræi, quando parabant discessum ex Ægypti servitute, opprimebantur. Quando igitur res ita se habet, magis unusquisque sibi attendere nunc debet. Et quia audimus in hod. evangelio immundum spiritum perambulare loca inaquosa seu arida, eaque potissimum tentare; videamus quænam illa sint, ut resistere tentationi omni ex parte possimus.

I. Arida loca sunt incipientes et teneri, adeoque quasi adhuc aridi in virtute, quos dæmon velut infirmos facilius se superaturum sperat. Quam ob causam Herodes Christum adhuc infantem occidere parabat, ne adultus vires caperet, et contra se aliquando arma apprehenderet. Pharaon infantes Hebræorum occidi jussit ab obstetricibus, quia adultos opprimere laboribus non poterat, Exod. I. ita et diabolus, quia solidatos in virtute difficulter vincere potest, teneros et incipientes enecare tentat. Obstetrices illæ erant duæ, Sepphora et Phua. Sepphora exponitur *pulchra*, Phua *rubens* aut *verecunda* secundum Origenem, in I. cap. Exod. Et quid hæc, nisi caro et mundus. Caro pulchritudinem suam ab incipiente tyrone desertam: mundus erubescens, sed malam et vanam ingerit, v. g. quid dicent de te homines, si te videant tam vilem sectari vitam, religiosorum similem, etc. Maria Ægyptiaca per annos decem septem tentabatur in solitudine memoria prioris luxus, quo in sæculo circumfluxerat. Bene igitur monet Ecclesiast. c. II. *Fili, accedens ad servitutum Dei, sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem.* Talem enim insectatur dæmon velut servum a se profugum, ut apprehensum ad se retrahat. Insectantur et prioris vitæ inolita vitia, quæ alliciunt eum, ut redeat ad gustatas semel voluptates. Civitas quæ jugum tyranni recentes excussit, stare in custodia, seque munire debet, quia absque dubio tyranni insultus patietur. Hoc est quod ait Siracides: *Sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem*, Ecclesiast. II. quasi miles scilicet. Exemplum dedit Christus, qui post baptismum suum causa instructionis nostræ, non necessitatis suæ, præparavit se ad pugnam tentationis contra dæmonem, intrando solitudinem, jejunando et orando. Unde Tertull. lib. de baptismo ait: *Ipsam Domi-*

num post lavacrum statim tentationes circumsteterunt, quadraginta dierum jejuniis perfunctum.

II. Sunt perfecti et sancti, teste S. Greg. XXXIII. moral. c. III. *Quia per disciplinæ fortitudinem ab omni carnalis concupiscentiæ humore siccantur.* Et quidem his fortiores ponit insidias, quia sunt *cibus ejus electus*, Habac. I. Quo enim quis sanctior est, eo magis illi invidet et insidiatur, velut latro diviti mercatori. Qua de re Deus ad Job, c. XL. ait: *Ecce behemoth, quem feci tecum, fœnum ut bos comedit.* S. Greg. XXXII. moral. c. X. asserit per behemoth dæmonem intelligi, quia monstrum est horrendum. Sed cur fœnum sicut bos, non sicut equus dicitur comedere? Respondet Greg. quia: « Equi fœnum quamvis sordidum comedunt, boves autem fœno non nisi mundo vescuntur. Neque behemoth iste se eos rapere gaudet, quos pravis et sordidis actionibus implicatos in imis secum respicit voluntarie jacere: fœnum ergo comedere sicut bos appetit, quia suggestionis suæ dente contere mundam vitam spiritualium quærit. Vult ergo dicere Jobo Deus: Cave tibi a behemoth adversario tuo, quia insidiatur tibi velut viro perfecto, et meritis opulento. Ad idem tendit quod paulo post subjicit. loc. Dominus de eod. behemoth: *Ecce absorbebit fluvium, et non mirabitur, et habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus.* Fluvius, ut exponit S. Greg. XXXIII. moral. c. XXVIII. quia impuras et insuaves habet aquas, populum sæculo deditum significat; Jordanis, qui puras, suaves et laudatas aquas habet, teste Plin. et præterea terram interluit, Christique contactu sanctificatus est, sanctos perfectos notat. Spem igitur habet absorbendi etiam justos, quasi de aliorum perditione parum delectetur. Sane anno 1559. cum quidam prædicans (ut colligitur ex hist. narratione) in pago Loen, Juliæ ducatus, dæmonem ex obsessa puella, nomine Helena expellere conatur, nec posset, tandemque indignabundus in hæc verba erumperet: *Si quam habes potestatem migrandi in Christianum, migra ex illa in me.* Cui dæmon: *Quem pleno jure in postremo die possidebo, quid opus est illum tentare?* Refert Vietus, I. IV. de præstig. dæm. c. XXI. Syriæ serpentes non lædunt nisi peregrinos, si Plinio credimus, I. VIII. c. IX. pari modo dæmon alienos solum persequitur, non suos.

III. Sunt adolescentes, et ipsi quoque aridi, sed viribus, unde necdum satis armati ad resistendum dæmoni. Nam: *Adolescentia sola est invalida viribus, infirma consiliis, vitio calens, fastidiosa monitoribus, illecebrosa deliciis*, ait D. Ambr. I. II. de interpre. c. VII. Solet autem hostis civitatem expugnaturus infirmoem ejus partem

aggredi. Fuerunt aliquando Israelitæ vexati valde a Madianitis et Amalecitis, Judic. VI. *Cum enim sævisset Israel, ascendebat Madiam et Amalec, cæterique orientalium nationum, et sicut erant in herbis, omnia vastabant.* Quid herbæ sementis jam in segetem excrescentes nisi adolescentæ? His insidiantur, hos in herba et flore juvenutis perdere conantur dæmones: *Madian*, h. e. *litigant*: et *Amalec*, h. e. *lambens* (hoc enim significant) duo sunt pessimi adolescentum hostes, quorum alter per iracundiam stimulat eos ad lites et contentiones, alter per gulam et ebrietatem ad intemperantiam et vitia quam plurima. Prudenter quidam vir sapiens ait apud Cornel. a Lap. in prov. c. XXII. Quatuor de causis dæmon adolescentæ maxime venatur. Primo, quia scit a Deo pios adolescentes maxime amari et expeti: ideo hunc florem ætatis gaudet Deo præripere. Scimus Joannem apost. propter florem juvenutis Christo maxime dilectum fuisse: scimus et in v. t. item indicatum pro oblatione fere agnos tantum et vitulos ac pullos columbarum fuisse a Deo petitos. Secundo: *Quia sic viam sternit ad sequentis vitæ peccata.* Notum est illud Prov. XXII. *Adolescens juxta viam suam ambulans, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Norunt venatores consuetum esse feris, ut per eadem semitas revertantur ad silvam et latibula sua, per quas egressæ sunt; nec nisi rarissime alias sibi non tritas tenere: unde eas observant, et intercepti laqueis dispositis. Novit etiam venator stygius juvenes a via sua trita raro discedere, unde eam observat et pervertere conatur. Tertio: *Quia adolescentes facile falli, sed difficile se expedire ex diaboli vinculis possunt.* Patet hoc etiam in vulpibus. Annosa vulpes e medio canum non difficile se explicat: juvenula non item, quia necdum sat astuta est. Unde Cantic. II. dicitur: *Capite nobis vulpes parvulas*, quia capti faciliores sunt. Quarto: « Quia dum peccant, impotentes peccant. Idcirco quatuor sunt adolescentibus in omnem vitam profutura. Primo, Deum pluris omnibus æstimare, animamque omnibus post Deum rebus pretiosorem esse, scire: secundo, B. Virginem Mariam, ex toto corde, ut Filii Dei Matrem amare, et aliquid in ejus honorem facere: tertio, nunquam peccatum mortale in conscientia sustinere, sed singulis diebus de peccatis dolere, et eâ quamprimum confiteri: quarto, quod morituri sunt brevi, crebro cogitare, quodque post mortem aut in æternum in inferno cum diabolo sint arsure, aut in æternum Deo et angelis in cælo felicissime fruituri. » Sic ille sapienter admonens.

IV. Virgines. Cum enim Christus Dominus vir-

ginitatem maxime amet (qua de causa etiam Joannem præ cæteris discipulis diligebat) et alia ex parte virgines thesaurum hunc portent in vasis fictilibus ac fragilibus, struit eis insidias magis dæmon quam aliis. Testatur id S. Hieronymus, epist. XXII. « Ezechias, inquit, thesaurum Dei monstrat Assiriis, qui non debuerunt videre quod cuperent. Frequentibus bellis Judæa convulsa, vasa Domini primum capta atque translata sunt: et quia palma vitiorum est, honesta polluere, Balthazar potat in phialis, Oza attingens arcam subita morte prostratus est. Neque vas aureum et argenteum tam charum Deo fuit, quam templum corporis virginitatis. Præcessit umbra, nunc veritas est. » Hæc Hieronymus. Qui etiam in epist. ad Demetriadem ait: *Divitiarum tuarum virginitas tua, thesaurus tuus est. Quemadmodum ergo ss. vasis et thesauris templi maxime insidiabantur hostes, uti Assyrii, Nabuchodonosor, Antiochus, II. Macehab. III. sic etiam Satan laqueos tendit illis imprimis, qui sacratum Deo virginitatis thesaurum gerunt. Evam adhuc virginem serpens invasit et colloquio suo cœpit; fugiant ergo virgines colloquia serpentina, fugiant serpentes. Veterum historiæ tradunt virgines ad balnea euntes, sæpius a dæmone correptas et possessas esse, apud Baron. anno 712. et alios. Par periculum in aliis labendi occasionibus est.*

V. Iracundi, qui cum perturbato sint animo, facile a dæmone quasi cæci capiuntur, et in cædes, blasphemias, rebelliones, aliaque immania scelera devolvuntur. Hinc apostolus ad Ephes. IV. cum dixisset: *Sol non occidat super iracundiam vestram*, subdit mox: *Nolite locum dare diabolo*. Ipse enim biliosis cogitationibus facillime se insinuat suggerens iracundo vindictam, et cædes machinanti vias et media, ligna quoque igni adjiciens; sic in aqua turbida facile pisces capit. Sensit hoc imprimis Saul rex, qui cum ægre ferens laudem Davidis, iratus esset nimis post diem alteram invasit eum spiritus malus (I. Reg. XVIII.) qui et impulit eum ut arriperet lanceam, et configere conaretur Davidem. Cui simile refert B. Petrus Damiani, de irato presbytero, cui dæmon specie viri nobilis sibi noti, obvians, facile obtinuit, ut ejus se subditum futurum promitteret, in ep. XVII. l. IV. epist. Aliud de Moyse abbate, qui ob iracundam reprehensionem dæmoni traditus cœpit excrementa rabido ore vomere, refert Cassian. l. VII. coll. XXVII.

VI. Otiosi et ignavi, timidi et melancholici. Hi enim velut et aves ignavæ et quiescentes nullo negotio ab aucupe intercipiuntur, et jaculis dejiciuntur. Alexander M. bellum gerens imperabat ducibus, ut barbas Macedonum rape-

rent, ne facile ansam hosti ad retinendum et capiendum se præberent, teste Polyæno, l. IV. Otium et desidia proluxa quasi barba est, qua comprehendit homines diabolus. Unde Gog, h. e. exercitus Satanæ et antichristi, Ezech. XXXVIII. ait: *Ascendam ad terram absque muro, veniam ad quiescentes, habitantesque secure*. Similiter et Amalec postremos agminis Israelitici fessos cæcidit, Deut. XXV. Confirmat hoc exemplo S. Gregorius Turonensis, lib. VIII. histor. cap. XXXIV. Anatholius Burdegalsis cujusdam negotiatoris famulus, annos natus duodecim, cum vidisset ibi cryptam speciosam, et in ea angulum quemdam angustum, vix unius hominis capacem, quadris lapidibus extractum, captus loci specie, in celam illam arete se conclusit, tenui victu contentus, degitque in ea annos circiter octo. Postea nescio quo pavore correptus, murum dejecit adjuvante dæmone, a quo et occupatus clamabat se uri a sanctis, S. Martino maxime, indeque inductus est Turonos ad S. Martini reliquias: quoniam in turpe et ignavum otium se contulerat. Et quando David comprehensus fuit a dæmone, et in fœdam libidinem prostratus, nisi quando domi otiosus surrexit de strato suo post meridiem (cum interdiu dormisset) deambulavit in solario domus regis? II. Reg. XI. Nihil ei tale contigit, dum militiæ intentus, et ab hostibus suis exagitatus fuit. Quare bene S. Hieron. in epist. ad Rusticum scribit: « Si tibi ipsi attendere a libidine optas juxta Tobie præceptum, semper aliquid boni operis facito, ut te diabolus inveniat occupatum. » Sic ambulans per locum aridum non invenit requiem: *Nequus enim*, ut ait S. Thom. de regim. princip. l. VII. c. II. *facile capitur a tentatore, qui bono vacat exercitio*.

VII. Moribundi. Hi enim cum viribus destituti sunt, et angustiis undique cincti habent sane quod timeant insidiatorem dæmonem, velut in ultimo conflictu, in quo de summa rerum agitur. Hoc sensu vult S. Hieronymus, in Ps. LV. et Alcuinus dictum esse serpenti Genes. III. *Et tu insidiaberis calcaneo ejus*, Evæ scilicet. *Per calcaneum*, ait Hieronymus, *intellige finem vitæ*. Qui in urbibus Italiæ varias merces coemunt sibimet, permittuntur, nec impediuntur; sed cum eas efferre volunt, in portis civitatis obruuntur a custodibus, et excutiuntur atque exagitantur, ut telonia solvant: vel etiam pœnas dent, si quid prohibitum efferre voluerint. Idem faciunt moribundis dæmones: objiciunt eis præterita peccata; bona, quæ deserere debent; morbi dolores; judicii severitatem. Sic fiunt illis: *Cobuber in via, et cerastes in semita, mordens unguulas equi,*

*ut cadat ascensor ejus retro; quod filio suo Dan dixit Jacob, Genes. XLIX. Equus noster caro est et corpus: hoc mordet et doloribus affligit dæmon in extremis, ut homo nonnisi de morbo pellendo, medicinis inquirendis, et doloribus leniendis, de salute vero animæ parum sit sollicitus. Sic admorsa ungula equi, et perturbato vitæ fine, cadit equus retro, non prævisa morte, non adhibitis animæ remediis. Bene igitur monuit S. Julianus anachoreta, referente S. Ephrem, et ex eo Surio, 9. jan. in ejus vita, ut non tamen de via, quam de vitæ nostræ termino solliciti simus. *Vitæ similis est humana vita*, inquit, *et ideo magis consideranda non quæ in itinere occurrunt, sed quæ post viam confectam nobis eventura sunt*. Quare Ecclesia sciens adversarium nostrum diabolum tamquam leonem circuire hoc potissimum quadragesimæ tempore, ut quærat quem devoret, sollicite nos ad vigiliam et custodiam cordis nostri hortatur, additque in hunc finem angelici præsidii continuam implorationem, dum bis in die recitat versiculum: *Angelis suis mandavit de te*. Denique, cum S. Petro monet nos quotidie in completorio: *Fratres, sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide*.*

CONCIO V.

RATIO EXPELLENDI DÆMONEM PER POENITENTIAM.

Quinque digitis dæmon expellendus. — I. Prævio examine conscientinæ. — II. Excitata contritione. — III. Adjuncto emendationis solido proposito. — IV. Accedente confessione. — V. Non prætermissa satisfactione.

THEMA.

Si in digito Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei. Luc. XI.

Nequissimus diabolus esse debuit iste, qui obsessum reddidit mutum, atque, ut vox Græca indicat, etiam surdum; denique, quod Matthæus addit, etiam cæcum. Quis vero hic nisi inimicus poenitentiae, qui peccatorem nittitur facere cæcum, ne agnoscat sua peccata, adeoque abominetur? Mutum, ne confiteatur? Surdum, ne audiat confessarium pœnas injungentem? Quia ergo hoc potissimum tempore talia machinatur, quo expelli solet ac debet; nos exemplo Christi aggrediemur hostem illum, pessimumque hospitem e nido suo exturbare conabimur. Sed qua ratione? *Digito Dei*. Verum quia nos digitum illum tam potentem non habemus, quemadmodum habuit Christus, ideo omnes quinque adhibemus, adeoque manum totam.

I.

I. Minimus digitus indicat examen conscientinæ præmittendum confessioni: quia ut ille aures terebrat, et terebrando sordes extrahit sicque expurgat: (unde *auricularis* dicitur) ita examen conscientiam. Est enim instar catelli, qui ingreditur cavernas, eicitque vulpes quæ demoliuntur vineam et despoliant domum cordis tui; de quibus dicitur Cant. II. *Capite nobis vulpes parvas, quæ demoliunt vineas*. Indagandæ quidem imprimis vulpes magnæ, et graviora peccata: sed expedit etiam investigare leviora. Quod quidem Cant. V. insinuatur illis verbis: *Expoliavi me tunica mea, lavi pedes meos*. Illud ad graviora peccata, hoc ad leviora refert Sanctus Greg. Nysenus, ibid. Porro minimus adhibetur digitus expurgandis auribus, ut penitus ac profundius se immergat. Pari ratione diligens et quantum fieri potest, accuratum conscientinæ adhibendum est scrutinium, ut omnia præsertim mortalia investigentur, quo magis excitari de illis dolor et contritio queat. Id quod etiam indicatum Ezechieli per mysterium, dicente Deo: *Fili hominis fode parietem. Et cum fodissem parietem, apparuit ostium unum. Et dixit ad me: Ingredere et vide abominationes pessimas, quas isti faciunt hic*, Ezech. VIII. In quem locum S. Greg. II. p. pastoral. c. X. *Quid est, inquit, parietem fodere, nisi acutis inquisitionibus duritiam cordis aperire?* Acuta igitur inquisitio adhibenda, quæ etiam interna et cordis peccata, cogitationes et intentiones malas rimetur. Neque dicas: *Velim cum ignavo illo villico: Fodere non valeo*. Nam imprimis fac quod potes, et inhære paulisper huic fossioni seu scrutinio, et offeret se ostium, ac lumen, quod ostendet tibi abominationes tuas: (quomodo is, qui ex luminoso in obscurum locum est ingressus, paulatim incipit plus videre;) præsertim si hoc lumen prius petieris a Deo. Deinde, mirum est, si nostros errores deprehendere non possumus, qui tamen alienos tam facile deprehendimus. Contingit sæpe, ut quis alteri objiciat peccatum aliquod, aut etiam plura, quæ videbantur latuisse. Miratur alter et interrogat: *Quis tibi hoc de me dixit?* Tum hic solet respondere: *Minimus meus digitus mihi hoc dixit*. Ita enim proverbio loquimur, q. d. diligenti inquisitione hoc cognovi. Jam ergo si minimus noster digitus potest nobis dicere, quæ illi mala fecerunt: dicat etiam nobis, quæ nos ipsi fecimus. Neque est quod laborem hujus fossionis detrectet Christianus, quem suscipere in se reges Hebræi; uti David, qui Psalmo LXXVI. ait: *Exercitabar, et scopebam spiritum meum: et Ezechias rex, qui Isaiæ XXXVIII. ait: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Quin et gentiles aliqui, ut Pyrrho philosophus*

Elidensis, qui solus secum loquens ac vitæ a se rationem exposcens, cum interrogaretur, quid ageret: *Meditor bonus ut sim*, respondi, uti refert Laertius. Taceo Sextium, apud Senecam, l. III. de ira, c. XXXVI. et alios.

II. Annularis sic dictus, quia insigniri solet annulo. Vocatur et *medicus* quia medici et pharmacopolæ eo intineto gustant pharmaca, quæ parantur. Hic vero quid nisi contritio? Hæc enim gustare facit amaritiam peccati, quam tibimet intrivisti, juxta id Jerem. II. *Vide quia malum et ænerum est reliquisse te Dominum Deum tuum.* Hanc ob causam Moyses vitulum, quem conflaverant Hebræi ex inauribus uxorum, filiorum et filiarum suarum, contrivit in pulvere, eumque in præterlabentem fluvium sparsit, indeque eis potum dedit, Exod. XXXII. ut gustarent amaritiam peccati sui, quin et Deus suum vitulum scilicet in pulvere redactum, et in aures suarum uxorum et liberorum, tanti ab eis æstimatas, jam contritas aspicerent, et devorare cogerentur. Apud Ægyptios patres qui filios occidissent, tribus diebus et noctibus stare ante cadaver occisi compellebantur, eumque intueri indesinenter, quo acrius facti pœnitentia cruciarentur, Diodoro teste, l. I. c. VI. Vide et tu peccata tua, quibus Deum, proximum, animam tuam vulnerasti, ino occidisti. Quid putatis sensisse Adamum et Evam quando viderunt filium Abelem extinctum, primum scilicet fructum suæ inobedienciæ, qua filium non quidem gladio, sed pravariatione suâ occiderunt? Quis explicet quantum eo aspectu consternati sint? Quam seipsos increparint dicentes: En fructum ligni nostri! Videbatur id esse bonum ad comedendum, et pulchrum oculis aspectuque delectabile: et enim quam amarum est, et quam horridum in cadavere filii nostri! Thais ex Ægyptia meretrice pœnitens inclusa in cellula tribus annis a Paphnutio postea educta dixit: « Testor Deum, quia ex quo huc ingressa sum omnia peccata mea velut sarcinam statui ante oculos meos; et sicut non recedit halitus a naribus meis, ita nec uno momento usque ad hanc horam peccata mea recesserunt a me, sed flebam semper illa conspiciens. Cui abbas: Non propter pœnitentiam tuam remisit tibi Deus, sed quia horum cogitationem semper habuisti in animo, » mænæ Græc. Solet porro hic digitus annulo insigniri, unde *annularis* dicitur. Annulus est amor Dei super omnia, ex quo procedere debet contritio, ut sit vera, adeoque aureus annulus: argenteus est attritio, quæ accedente confessione sacramentali sufficit ad obtinendam peccatorum remissionem: **Laborandum** tamen pro viribus

unicuique, ut ex argenteo ad aureum annulum, ex imperfecta ad imperfectam contritionem ascendat, qua ob Deum summe dilectum peccata detestetur.

III. Medius emendationis propositum demonstrat. Nam primo, est omnium fortissimus, quem admodum et propositum necesse est, ut sit firmissimum, quodvis patiendi potius, quam ut iterum Deum offendas. Alioquin enim nondum perfecte cognoscis peccati gravitatem, et Dei majestatem, cum eum perdere malis, quam aliquid creatum. Sit ergo tale, quale Davidis, Ps. CXVIII. *Jiravi et statui custodire judicia tua*, id est, legem tuam. Cum aliquid serio detestaris ob damnatum aliquid acceptum, soles juramento te adstringere, v. g. non bibiturum vinum, non lusurum aleis, non saltaturum amplius: et tunc memor juramenti tui ut plurimum stas promissis. Cogita ergo te similiter juramento adstrictum esse ne iterum pecces. Sit tale quale habuit Balaam, Num. XXII. *Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti et auri, non potero immutare verbum Domini Dei mei.* Sit tale, quale habuit ille Davidici exercitus, qui reprehensus a Joab, quod non occidisset Absalon pendentem e quercu, respondit: *Si appenderis in manibus meis mille argenteos, nequaquam mitterem manum meam in filium regis, quia rex præcepit: Custodite mihi puerum Absalon,* II. Reg. XVIII.

Secundo, est longissimus omnium: sic propositum illud debet se extendere ad omnia peccata, ut nullum velis repetere, et ad omnia tempora, ut nunquam. Ita statuit David, Psal. cii. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum*, q. d. si æternum viverem, æternum custodire vellem legem tuam. Tametsi enim voluntas humana semper libera et flexilis ad malum æque ac bonum: potest tamen se cum Dei auxilio ita obfirmare contra malum, ut nullis diaboli machinis superari queat, dicens cum apost. ad Rom. VIII. *Quis nos separabit a charitate Christi, etc?* Hoc sibi voluerunt Hebræi, quando hortatu Samuelis abjecerunt idola, et in signum veræ pœnitentiæ: *Hauserunt aquam, et effuderunt in conspectu Domini*, I. Reg. VI. quo indicabat: *Ut sicut aqua effusa non redit, sic nec ipsi redirent ad idololatriam*, inquit ibi glossa. Et rursum, ut quemadmodum aqua effusa non relinquit in vase sive sui odorem, sive saporem, sive colorem: sic abjicienda esse peccata, ut nullus etiam affectus ad ea repetenda vel amanda remaneat in corde pœnitentis.

IV. Index est confessio, quæ indicat medico spirituali vulnera animæ: index enim ad monstrandas res aptissimus est, quia solus sine ad-

miniculo aliorum digitorum se extendit commode, adeoque distincte rem ostendit, quod in confessione auriculari requiritur, ut solus pœnitens clare et soli se aperiat confessario. Debet autem primo, indicare abscondita vulnera, sicut et index præ foribus suspensus tabernæ, vinum in cella prodit. Nisi per indicem prostituas, vinum non vendes; et nisi vulnera per confessionem prodas, non sanaberis. Quis autem, nisi insaniat, vulnus lethiferum abscondet medico? Sane Plinius, l. VIII. d. XVI. scribit Mentori Syracusano, cum in Syria iter faceret, leonem pede saucium obviasset, et quacumque ille refugeret, se ei opposuisse et pedem, cui spinam intriverat, saucium ac tumidum curandum præbuisse. Bestiæ igitur immanes quærunt medicum, et monstrant ei vulnera sua, homo hoc non faciat? At fecit certe rex David, Ps. XXXI. *Conversus sum in ærumna mea* (q. d. huc illuc cucurri) *dum configitur spina*: (Septuaginta habent: *Dum adurit me spina*.) Quid igitur? Cur non os tendis medico vulnus? Sequitur mox: *Delictum meum cognitum tibi feci, injustitiam meam non abscondi. Dixi: Confitebor adversum me injustitiam meam Domino*: (en quam sincere et aperte prodit se) *et tu remisisti impietatem peccati mei*.

Secundo, debet etiam indicare speciem et numerum sicut index manus clare omnia distinguit ac demonstrat: et ut index horologii indicat matutinum et vespertinum tempus, item horas utriusque singulas. Contra hoc agunt illi, qui nimis obscure sua proponunt, ut a confessario non intelligantur. Quando Christus Dominus ex obsessis dæmones ejecit, semper omnes simul ejecit. Quid enim profuisset miseris, ab aliquibus liberari, si vel ab uno vexati fuissent? Remanet in corde dæmon unus, si vel unum lethale peccatum studio taceatur in confessione. Bene ergo Zacharias cecinit: *Locutus est per os sanctorum salutem* (h. e. promisit liberationem) *ex inimicis nostris, et de manu omnium qui oderunt nos*, Lucæ I. *de manu omnium*, inquit, *inimicorum nostrorum*. Liberavit sese Judas proditor ab uno quidem inimico et dæmone, cum dixit: *Peccavi tradens sanguinem justum*: sed non ab omnibus, quia ut advertit S. Ambrosius, non omnia confessus est. Tacuit corpus Christi a se sacrilege sumptum et proditum, tacuit furta et murmur suum. Facit hoc quod in vita S. Sebastiani, apud Sur. et Lipel. 20. jan. legimus de Chromatio urbis prefecto, qui podagræ doloribus vexatus, audiit a S. Sebastiano, si idola sua omnia confringeret, sanitatem recuperaturum. Obtulit ergo ad ducenta idola Sebastiano confringenda, nec tamen convaluit. Collegit inde Sebastianus adhuc idolum

aliquod ab eo absconsum esse, addens nisi et id depromat, eum non convaliturum. Itaque digito ostendit ei cubiculum vitreo opere affabre factum, in quo stellarum erat disciplina, ipsi vehementer amata, ex qua divinabat de futuris, pretio 200. auri pondo. Ea igitur prodita et fracta subito convaluit. Pari modo ni tu omnia idola scelerum tuorum, quæ in conclavi cordis geris, demonstres medico tuo spirituali, non recipies sanitatem animæ tuæ.

V. Pollex, dictus vel a robore et pollendo, vel a pollicendo, notat satisfactionem aliquam, qua promittis confessario compensationem aliquam et multam pro peccatorum reatu exsolvendam, et strenue exsolvis. Ergo primo, satisfactio injuncta fideliter exsolvenda est, quia pro redemptione pœnarum a pœnitente promissa et suscepta. Manet his adhuc obligatus Deo, donec redimat ab eo suum quasi chirographum, ac nisi id repetat, novum insuper committit peccatum, quia parte integrante sacramentum pœnitentiæ truncat. Quid profuit servo illi debitori decem millium talentorum condonata fuisse debita, si postea ob novum delictum retractus fuit ad priorem obligationem et majores pœnas? Taceo quod stultum sit non velle se redimere aureo uno, qui centum aureos debet. Pœnitentia in confessione injuncta, quia pars sacramenti est, longe efficacior ad solvendum pœnæ reatum, quam quæ sponte assumitur.

Secundo, sit pollens seu fortis pro qualitate peccatorum: ita enim præcepit Joannes Baptista, Luc. III. *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, et ne ceperitis dicere: Patrem habemus Abraham*. Nimirum Joannes, ut advertit S. Chrysostomus, in oper. imperf. homil. III. intellexit passiones Judæorum ad se venientium, sicut medicus ægrotum ex colore, quasi cogitent: *Confiteamur peccata nostra; injustitias a nobis non requiret, nec restitutiones, nec emendationem vitæ, nullum laborem imponet: baptizabimur tantum, et indulgentiam consecuti sumus*. Sed Joannes contra. Non sufficit hoc aspergillum aquæ, sanguis necessarius est, uti præceptum, Lev. IV. ver. VI. Digni pœnitentiæ fructus, necessarii sunt. Parva ab arbore pauci fructus, a magna multi exiguntur: pari modo ab exiguo peccatore exigua petitur satisfactio: e grandi vero grandis, lacrymæ, jejunia, cilicia, flagella, restitutiones, et si arbor peccati multos tulit fructus bonos: exemplo Davidis, qui adulterio adjecerat cædem Uriæ, et cum eo plurimorum innocentum: postea tamen correptus a Nathan peccata sua negavit et deflevit diris et continuis pene lacrymis, castigavitque afflictionibus; uti ipsi confitetur tot verbis